



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Cap. I. Qvonam modo definienda sit propositio?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

ego velut inutiles, & implicatas omitto: ac duo tantum animaduerto. Primum, quoties adiectiuum se solo prædicatur de subiecto complexo, ac duos habente terminos parciales; alterum substantiuum, alterum adiectiuum, siue priori adiacentem (haud enim sermo de adiectiuo grammaticaliter tali) vt Petrus Philosophus est magnus, tum inquam prædicatum appellare supra subiectum, quoad eius substantiuum, non quoad adiectiuum, siue vt alij loquuntur, supra eius materiale, non formale: quamobrem in ea propositione nuper proposita, magnitudo appellat supra Petrum secundum se aut eius res gestas, secus verò supra eum, quatenus est philosophus, vel, quod in idem recidit, supra eius philosophiam. Quoniam autem dubium esse potest, num in præfata propositione philosophus se teneat ex parte subiecti, vel potius ex parte prædicati: vtrumlibet enim, tum in ea, tum in alia quauis id genus seruata proportionem accidere potest, & solet: idcirco vtrum præ alio accidat, ex circumstantiis loquentis serio, aut per ironiam, aliisque plurimis conici potest, necnon ex cuiusque idiomatis peculiari genio. Secundum quod animaduerto est, quoties adiectiuum non se solo prædicatur, sed in consortio substantiui alicuius, illud non supra subiectum, sed supra complexum prædicatum, siue substantiuum, cui adheret, appellare: quapropter in hac propositione Petrus est magnus Philosophus, magnitudo non supra Petrum, sed supra philosophum appellat. Parum autem interest, an adiectiuum antecedit substantiuum, cum quo vna prædicatur, vel potius illud subsequatur, vt hæc regula sit vera: eadem enim erit appellatio, siue dicas Petrus est magnus Philosophus, siue, Petrus est

philosophus magnus; quare iure merito sibilò, & risu nunc excipi solent præsci quidam dialectici, hic nugantes more suo, & discrimen agnoscetes, tum inter proximè positas propositiones; quasi in priori magnitudo appellet supra philosophum, in posteriori verò supra Petrum: tum etiam inter has, Papam vidi; vidi Papam: cognosco venientem, venientem cognosco, & alias similes.

Atque hætenus de proprietatibus termini: quarum cognitio quam sit utilis, quam necessaria ad assecutionem veri, & eius à falso discretionem, ipso disputandi vsu cuius luculenter constabit: quocirca in eis explicandis, non piget operam huculque posuisse, præsertim cum breuissimè perstrinxerim omnes, dempta suppositione: hanc autem, cuius varietas, & præ cæteris utilitas plus temporis exegit, haud tamen prolixè, haud longius, quam moris sit authoribus aliis non paucis, iisque probatissimis. Non excuso, nec debeo veteres quoddam Summulistas, eorumque rationem exponendarum proprietatum termini. Ineptiunt enim, & nugantur sine termino: omnia apud ipsos Sophismatis, omnia difficultatibus, & salebris plena. Vbi autem ex doctrina sua regulas eruunt ad veri assecutionem, id est totius dialecticæ finem, quod necesse est iidem sunt, & vel aliud agens ipsos facile possit agnoscere: tam enim prolixi sunt, tam lubrici & implicati, vt veritati non lucem, quam promittunt, sed potius noctem tenebrasque offundere velle videantur, ac studiosis summam illius assequendæ desperationem: quapropter eorum ego cauillos, & ineptias, haud aliter ac breuia syrtesque conatus sum euitare.



LIBER QVARTVS

DE VERITATE COMPOSITA,

Siue de propositione.



TRACTATVS I.

De essentia veritatis compositæ, siue propositionis.

CAPVT I.

Quonammodo definienda sit propositio.

Non pauci cum patre Hurtado disput. 4. summul. sect. 1. eam definiunt: actum intellectus iudicatum vnus de alio. Verum hæc definitio eo mihi nomine displicet, quod definitum per ipsum definitum, & ignotum per æque ignotum manifestet: nam propositio, & iudicium synonyma sunt, sicut ensis, & gladius. Alij eam impugnant, quoniam hæc propositio

exterior; possibile est idem simul esse & non esse, est verè, ac propriè propositio; & tamen iudicium non est, cum impossibile sit, iudicium, quo idem affirmetur esse, & simul non esse. Caterum antecedens falsum est fortassis; siquidem propositionem externam impropriè tantum esse propositionem; valdè probabile est, vt infra lib. 6. constabit. Deinde ea propositio externa sit verè, ac propriè propositio; sanè eo ipso erit iudicium externum, non minori proprietate, & veritate. Ad probationem contrariam respondeo; impossibile quidem est, iudicium internum aliquid simul esse & non esse affirmans, impossibile inquam, si non diuinitus, at certè naturaliter; secus verò externum, quod internum illud impossibile suapte natura, & institutione præsentet. Quemadmodum etiam duæ propositiones contradictoriæ internæ formaliter, & explicite tales simul repugnant, secus verò externæ, vt cum quis duas propositiones contradictorias simul profert, alteram scripto, alteram voce.

Secundò etiam reiici potest ea sententia ex doctrina Caietani 2. 2. q. 45. art. 1. ad 2. quoniam, quoties

quoties quis assentit alicui rei, toties circa eam format intus propositionem quandam, ut videtur certo certius; at non semper iudicium: hoc ergo à propositione distinguitur, & è conuerso; adeoque perperam definitur altera per alterum. Minor est Caietani loco nuper citato distinguentis assensum à iudicio; ait enim ibi assensum esse, *solam determinationem ad alteram partem contradictionis*, iudicium verò esse *determinationem rei, ut est in esse, vel esse debet*. Cuius differentiæ ac doctrinæ ponit exemplum in Conceptione Deiparæ: Etenim qui ignorat, quæ pars contradictionis in ea materia sit vera, iudicium cohibet, & tamen alterutram partem credit, & ad eam se se determinat, eique assentit. Cæterum P. Suarez tom. 1. de gratia lib. 2. cap. 18. iure merito docet, differentiam illam Caietani inter iudicium, & assensum esse euidenter falsam, stante vocum vsu, & reliquis omnibus Philosophis ac Theologis contrariam. Atque in primis ex ea sequitur, dari præter tres operationes intellectus, apprehensionem videlicet, iudicium, & discursum, aliam quartam, nempe assensum, quod plerisque scholasticis repugnat, Sequela probatur, nam assensus ille non est apprehensio sola, ut constat, hæc enim ad neutram contradictionis partem intellectum determinat, nec etiam diuersus; quoniam hic complectitur tres actus, vnum vero solum assensus; tum etiam, quia discursus in mediatum iudicium, nempe conclusionem terminatur, assensus vero nulla sui parte est iudicium, nec semper est mediata cognitio: restat ergo, ut sit quarta operatio intellectus; vnde etiam sit quintam, sextam, septimam, & sic ulterius infinitas, præter apprehensionem, iudicium, & discursum, à Caietano conungi posse. Secundò impugnatur eius doctrina, quoniam hæretici communiter dicuntur ab omnibus falsò iudicare de rebus fidei nostræ, & tamen eas secus, quam sunt in se credunt fide humana, & moti autoritate extrinseca præceptorum suorum; quamuis ergo in materia Conceptionis Deiparæ se determinet quis ad alteram contradictionis partem, credendo tantum, ac motus sola autoritate extrinseca, vel plerorumque fidelium; vel quorundam Doctorum, at de re tota propterea est in se, seu ut aiunt, per medium intrinsecum, nihil dirimat, nihilominus, ut assensum quemdam præstare, sic etiam iudicium aliquod ferre censendus est. Tertio improbat eam doctrina, quoniam in omnibus est in explorato, iudicium intellectus aliud esse euidentis, aliud ineuidentis, aliud certum, aliud incertum, nec non aliud per medium intrinsecum, & aliud per solum extrinsecum; quamuis ergo quis se determinet in præfata materia ad alteram contradictionis partem, non euidentia scientiæ propria, nec certitudine fidei diuinæ, nec per medium aliquod intrinsecum ex ipsius naturæ mysterij sumptum, atque catenus censetur ignorans, an beata Virgo fuerit concepta in peccato, nec ne? cæterum ubi se determinet ad alteram contradictionis partem, ei assentiendo, tamen ineuidenter, nec nisi certitudine fidei humanæ, ac per medium aliquod extrinsecum, puta auctoritatem hominum; at hoc non obstante alteram contradictionis partem iudicabit. Quocirca minor superioris argumenti distinguens assensum à iudicio est manifeste falsa. Deinde eas si vera sit, maior argumenti assensum à propositione nusquam distinguens, vera nequit esse: ut enim est à iudicio distinctus iuxta Caietanum, quidni etiam à propositione?

Tertio alij propositionem definiunt, affirmatio-

nem vnius de alio: probant definitionem primò ex Aristotele 1. prior. cap. 1. ubi propositionem ita definit. Secundo quoniam omnis propositio est affirmatiua vnius de alio; at si qua ratione non valeret ea definitio; præsertim, quia omni propositioni non conueniret, videlicet ei, quæ est negatiua huic ergo cum conueniat iuxta maiorem propositionem propositam, erit proculdubio legitima, & bona: eius autem maioris probatio est in expedito; siquidem hæc propositio, *non existit lux*, intus & in mente est hæc, *existit carentia lucis*; hæc autem posterior est affirmatiua verè, & proprie: ergo & illa prior, tamen si negatiua vocetur, non certè, quod ex parte modi repræsentandi sit negatiua, sed, quod talis sit ex parte obiecti, & negationem, seu carentiam asserit, ac velut obiectum respiciat. Alia etiam eiusdem maioris afferri solet probatio, quæ sic habet, *nullus homo non est animal*, exterius, & voce tenuis negatiua est, quæ maximè, quando non vna, sed duplici etiam negatione constat, & tamen interius, & in intellectu iuxta omnes est affirmatiua, & æquipollet huic, *omnis homo est animal*. Tertia eiusdem maioris probatio est huiusmodi; ista propositio, *nullus homo est animal*, exterius tam est negatiua, quam hæc, *nullus homo est animal*, imo magis, cum non huius more vnam tantum, sed duas negationes importet, & tamen interius est affirmatiua, & ab illa nuper posita, *nullus homo non est animal*, eiusque exponente, nimirum, *homo est animal*, parum, aut nihil diuersa.

Enimverò omnem propositionem non esse strictè, & verè affirmationem vnius de alio, constat in primis, & perquam luculenter ex ipsa diuisione propositionis, tum in affirmatiuam, tum in negatiuam: quæ, nisi apud principes dialecticos essent plane diuersæ, quorsum ita diuiderent propositionem, in membra inuicem indistincta, eo sane vitij genere, quo in arte diuidendi nullum potest esse maius, & non potius affirmationem ipsam cum propositione recurrentem, in eam, quæ posituum aliquod, & eam, quæ carentiam quandam affirmat? Rursus secundo: esse & non esse physicè, & re ipsa tenus sunt omnino diuersa, & quamuis ens aliquod posituum excludat aliud, & faciat illud non esse, nihilominus non dicitur formaliter carentia, aut non esse alterius, sed ad summum talis carentiæ principium, & causam, similiter ergo esse, & non esse intentionaliter, & in mente, siue affirmando, & negando erunt prorsus diuersa, ac proinde perperam omnis negatio affirmatio quadam esse dicitur. Denique tertio: non omne odium est amor; quamuis enim odisse aliquem dicatur esse velle malum alicui, hoc tamen accipiendum est, non in sensu formali, sed in sensu causali; propterea, quod odium alicuius personæ, eiusque displicentia, & fuga ab omni amore, & prosecutionis affectu formaliter distincta, sit tamen causa eius affectus, quo quis amet, & velit ei malum, tantum cum bono suo coniunctum, imò velut bonum suum prius apprehensum. Quod arbitror, vel ipsa experientia testatissimum, & vel ex eo etiam euidenter constare, quod tristitia non sit vllatenus prosecutio, aut delectatio: de quo enim non certè de absentia boni, & præsentia mali, hæc namque minime delectant: non contra de præsentia boni, & absentia mali, bonum siquidem, ut præsens, & malum ut absens non cognoscuntur ab eo, qui tristatur. Ut igitur non omnis fuga est alterius cuiusdam amor, sane non tamen negationem oportet esse alterius affirmationem. Atque quod statutum à me est

est de distinctione odij, seu fugæ à quouis affectu amoris, ac prosecutionis, id tuentur. Thom. 1. 2. q. 29. art. 1. & 2. Almain. in 3. dist. 15. qu. 1. Valent. tom. 2. disp. 3. q. 3. puct. 1. Vasquez 1. 2. & disp. 23. cap. 2. num. 6. Azor tom. 1. lib. 3. cap. 4. qu. 8. Rainaudus in disciplin. moral. dist. 3. q. 2 art. 2. n. 176. Lugo de pœnit. disput. 1. sect. 2. num. 10. Arriaga disput. 7. de anim. sect. 1. & plerique Theologi, ac Philosophi. Non me latet tamen, quosdam contrarium sentire, & fugam, ac nolitionem omnem cum amore, ac volitione obiecti oppositi confundere. Ita Angest. lib. 1. de virtutibus cap. 3. docum. 1. Holcot apud Almainum, & Rainaudum supra. Id ipsum de omni fuga (tristitia duntaxat excepta) docent Salas tom. 1. in 1. 2. tract. 9. disp. 3. sect. 2. & Suarez in 1. 2. disput. 1. de passion. sect. 7. num. 2. Nihil tamen adferunt, quod momenti alicuius difficultatem ingerat.

Ad auctoritatem Aristotelis ab aduersariis obiectam respondeo, ei sermonem fuisse de affirmatione latè, & improprie sumpta, eaque ratione omnem propositionem etiam negatiuam quodammodo dici posse affirmatiuam: nam in hac propositione v. g. *Petrus non est lapis*, vt proprie negatur de Petro esse lapidem, sic improprie affirmatur de eo non esse lapidem. Quamuis autem hac metaphora vsus sit Aristoteles ad describendam, & explicandam quoquo modo propositionem in communi, non ob id ea vertenda est in proprietatem, & rigorem, aut instar iustæ, & quidditatiuæ definitionis habenda, contra, quam ipse Aristoteles voluit, vt constat ex his eius verbis ad finem illius cap. *Quid igitur sit propositio, & quonam differat ratiocinandi, & demonstrandi, differendique propositio, diligentius quidem, exactiusque posterius explicabitur: nunc vero pro vsu presenti satis est à nobis determinatum.* Adjice Aristotelem potius eo cap. expresse declarare, & quodammodo definire propositionem, non per affirmationem præcisè, sed per affirmationem, vel negationem: quamuis autem inibi dicat; à differendi autem propositione demonstratiua propositio differt, nam hæc quidem demonstratiua partis alterius est acceptio contradictionis: qui namque demonstrat, non interrogat, sed sumit, (veluti scientia est virtus intellectualis) differendi vero propositio interrogatio est contradictionis (veluti est ne scientia virtus intellectualis). At aliud est propositionem demonstratiuam esse acceptionem alterius partis contradictionis, eaque sumere, aliud eam esse suapte natura præcisè affirmatiuam, cum possit altera contradictionis pars sumi & accipi negando: quod si animaduertissent aduersarij definitionem minimè Aristotelicam Aristoteli neutiquam affinxissent. Sed eius esto si lubet, & quod aiunt, per me sint omnia protinus alba: infra certè constabit cap. sequenti inter nostram sententiam proponendam, aliam interpretationem præter superiorem eamque satis verisimilem eum suscipere. Quo circa non est, cur aduersarij eius se patrocini tueantur.

Ad rationem contrariam respondeo, negata maiori: ad primam eius probationem dicendum est, hæc propositionem, *non existit lux*, non esse in mente formaliter istam, *existit carentia lucis*, tamen quodammodo æquiualeant, & in veritate ac falsitate recurrant, vt, vel ex eo constat, quod vocula, *existit*, in altera solam existentiam improprie significet, ac de carentia affirmet; in altera verò existentiam propriam, eamque luci non conuenire adstruat: quamobrem cum ex hoc titulo, & aliis multis ambæ interius sint formaliter diuersæ, po-

terit altera esse negatiua tantum, & non affirmatiua more alterius. Ad secundam probationem dicendum est, illam propositionem, *nullus homo est animal* esse simpliciter, & proprie negatiuam, non, quod duplici negatione constet; inde enim potius fieret, eam esse reuera affirmatiuam, negatio siquidem negationis est verè, ac reipsa affirmatio, si carentia carentiæ v. g. tenebrarum est positio, & existentia lucis; sed potius quod vna tantum negatione supra copulam appellante gaudeat: at id nulla ratione verum est, eam esse in mente formaliter affirmatiuam: aliud enim est, eam æquiuale-re huic affirmatiuæ, *omnis homo est animal*, aliud esse hanc formaliter: quemadmodum hæc propositiones, *nullus homo est lapis*, *nullus lapis est homo*, quodammodo æquiualent, & alterutra alterius veritatem continet, & arguit: at quis dicat, eas formaliter non differre? Ad tertiam probationem dicendum est, eam propositionem, *nullus homo est non animal*, nec exterius, nec interius esse formaliter negatiuam, cum nulla constet negatione supra copulam appellante, vt vt æquiualeat quodammodo huic negatiuæ, *nullus homo non est animal*: parum autem interest, quod duplici gaudeat negatione supra subiectum, & prædicatum appellante; aliàs hæc propositio, *tenebra sunt carentia lucis*, esset negatiua, contrà, quam omnes sentiunt. Proinde quamuis hæc propositio, *nullus homo est non animal*, non obstante negatione multiplici, sit formaliter affirmatiua, haud quaquam sequitur, omnes alias propositiones negatiuas formaliter affirmare: nam, vt visum est, ceteræ vi vnius negationis copulam afficientis euadunt propria ratione negatiuæ: quæ vero obijcitur, ne, merito duarum negationum extrema copulæ afficientium, dici potest, aut solet proprie negatiua.

CAPVT II.

Alia insuper sententia consultata.

Tertio alij propositionem definiunt, cum Petro Hispano lib. 1. cap. 6. orationem veram, aut falsam. Cæterum hæc definitio non est propria, & quidditatiua, sed solum descriptiua, quippe quæ rem per proprietates explicat, vt infra tract. 3. constabit, adeoque ea perinde est, ac, si homo definiatur animal risibile. Ad hoc, ea, esto descriptio non sit, saltem in diuisionem transit, siquidem propositionem per species inferiores, nimirum veram, & falsam, in quas propositio, vt sic, diuiditur, explicat; tantidem ergo ea est, ac, si definiatur animal, viuens, rationale, vel irrationale. Non me præterit, Aristotelem 1. periherm. c. 4. ea diuisione propositionem explicuisse: at quod non ita eam definire voluerit, sed potius pingui Minerua quandam eius notitiam tradere, exploratum habeo. Quarto alij cum Fonseca instit. lib. 3. & Conimb. tom. 2. log. q. 3. art. 2. atque Auerfa tract. 3. instit. cap. 1. propositionem definiunt affirmationem, aut negotiationem vnius de alio. Verum hæc definitio potius est diuisio, quam definitio, & hoc vitium cum priore nuper posita commune habet. Quinto alij propositionem definiunt, eam quæ componit, aut diuidit. Cæterum cum componere, & diuidere sit iuxta eos affirmare, aut negare vnum de alio, hæc definitio recidit in proximè positam, & improbatam. Sexto alij propositionem definiunt, enunciationem vnius de alio. At hæc definitio mera synonimia